



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Ex Heliotropio Liber IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

LIBER QVARTVS
DE HVMANÆ
VOLVNTATIS
AD DIVINAM CONFORMATÆ
IMPEDIMENTIS.
CAPVT PRIMVM.

Conformationem humanæ voluntatis cum divi-
na, quæ maximè impediunt.



I cui domus aut urbis cla-
ves committantur, pote-
tas etiam unâ committi-
tur domus aut urbis ingre-
diendi ad lubitum. Claves
ad cordis penetralia quan-
doque diu ambe Christus
Dominus, dum eas impe-
tret, liberumque ad cor ac-
cessum obtineat. Ad eodè pa-

rum alicæ humanitatis exhibemus hospiti omnium li-
beralissimo. Rem scitu dignissimam narrat Ludovicus
Blosius, de beatâ Gertrude virgine. Huic aspectabilem
se præbens Christus: Hac quidem manu, aiebat, sanita-
tem fero, hac morbum: elige filia, utrum placeat? Quid
hic faciat Gertrudis? Sanitatem eligat: impudentiæ vi-
debitur: Morbum sanitati præferat? nimis modestiæ
adscribetur. Certè humani moris est, cum amicus ejus-
cemodi optionem facit amico, ut iste vilius eligat, ad
testandam modestiam; ita morbum debuisset elegisse
Gertrudis, ad effugiendos alterius Orbis cruciatus. Non
elegisset inscitè, imitata Catharinam Senensem, quæ
longè prætulit spineum sertum auræ coronæ. Pruden-
tius tamen Gertrudis & melius elegit neutrum, sed pli-
catis in crucem manibus ad præcordia, & in genua pro-
cumbens: O mi Domine, inquit, id ego votis omnibus
à te contendo, ut non meam, sed tuam attendas volun-
tatem: ideo ego ad utrumque parata, neutrum eligo:
tuum est, mi Domine, dignoscere, utrum hoc an illud
mibi relinquas. Cui Christus: Quicumque cupit à me scilicet
scilicet adiri, inquit, suæ voluntatis clavem mihi offerat,
nec eam à me unquam repetat. His Gertrudis edocta,
precatinunculam fecit conceptissimis his verbis: Non mea,
sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu. Et hoc ipsum
trecentis sexagies quinquies insitit ex more repetere:
Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu.
Quæ quidem orationcula mille orationibus aliis vide-
tur anteferenda. Optime fecerit qui hanc diu noctūque
assidue ingeminavit, & tunc quidem ardentius, cum res
adversæ vehementius infestarent. Nemo sit tam occu-
patus negotiis, aut oneratus ærumnis, quin decies, quin
vicies aut tricies, quin centies conceptissima hæc verba
vel singulis horis pronunciet: Non mea, sed tua voluntas
fiat, mi amantissime Jesu.

Verum, non leve cuius negotium videretur, hoc vel-
le à seipso semper impetare. Obluctatur quandoque
arbitrium, & abnuat impelli ad tam vilia tamque aspera
perpelli. Ideo necesse est, ut qui suam divinæ voluntati
quam conjunctissimam cupit, ad illa præcipue paratum
se promptumque offerat, à quibus natura depravatio-
nis magis abhorret. Idcirco contrumax voluntas ad id po-
tissimum adigenda, quod plurimum averfatur.

Tom. I.

^A ^{§. I.} ET primò quidem, Ad omnem penuriam sese offerat, t. Ad om-
divinæ voluntati devotus homo, dicatque: Mi Do-
mine, tam ad egestatem quam ad divitias expeditum me
tibi offero (durum hoc, sed salubre) neque illam etiam
animi paupertatem detrecto ferre, quæ me solatiis pri-
vet, & destituat omni suaviore sensu. Si ita tibi placeat,
mi Deus, fiat cot meum instar aridissimæ terræ. Tu mi-
hi, Domine, propinasti vinum non Apianum, non Faler-
num, non Aromaticum, sed asperum, Absynthitum, &
Myrrhatum; in tuam igitur gratiam ex hoc ipso amario-
re calice respondebo. Scio, Domine, cellam tuam abun-
dare Cretico & condito generosissimo, sed tu ad expe-
riendos servos tuos, vappam illis & acescens vinum propi-
nare soles: perhauriam ergo, o bone Jesu, quidquid
tu mihi calicis amarioris ingesseris.

Exhibuerat se Deus uni suorum amicorum familia-
rius, & variis animum illius consolationibus permulse-
rat. Visus est sibi homo in rupe Taborejâ ad Christi ra-
diantem vultum semper consistere. Et quid hoc, aiebat
ipse secum, an non in loco mæoris & luctus degimus,
nunquid hoc tempus has sibi suavitates poscit? Itaque
deprecatus est tantam animi dulcedinem. Annuit Deus,
& quinquennium plurimis cum ærumnis & angustis
exercuit, submisit demum Angelum, qui hominis luctū
solatio levaret: At ille sibi similis & cæpti perseverans:
Non aliud ullum solatium, inquit, expeto nisi unicum
istud, ut sciam placere Deo, me esse in agitudine; ma-
ximum mihi est omnium dolorum fomentum, voluntas
divina: modò placeam Deo, non refert quàm sanus aut
æger sim, modò Deo placeam.

Josephus, Beatissimæ Virginis sponsi sublimissimam
hac in te virtutem meritò sic extollit Chryllostomus: Quæ Chryllost.
cum audisset Joseph (solum patrium exilio mutatum) nequa-
quam passus est scandalum, neque dixit: Incerta ista res est ac-
propterea ambigua: tu paulò antè dicebas, quia salvabit populum
suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculo liberare:
sed fuga nobis necessaria, & peregrinatio ac transmigratione lon-
ginq: contraria omnino sunt facta promissa. Sed horum nihil
propterea opponit. Vir enim erat fidelis, neque curiosè reversionis
tempus inquirat, quod utique ab Angelo non signatè fuerat ex-
pressum. Verum ille nec per ista quidem factus est segnior, sed
obedivit libenter, & credidit, omnes prorsus tribulationes cum
gaudio sustinendo. Paratissimus erat Josephus ad fugam
adornandam, ad patriam deserendam, ad omnem pen-
uriam tolerandam. Miseriarum omnium levamentum
est voluntas divina. Facta si oblatione ad paupertate-
tem, ulterius eundem.

§. II.

Primæ igitur succedat altera sui oblatio, Ad Contem-
ptum & Ignominiam. Ita Paulus præcipiens: In omni-
bus, inquit, exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros &c. & ignomi-
niam. per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, 2. Cor. 6. 6.
ut seductores & veraces. Dicat divinæ voluntati deditus: v. 4. & 8.
Domine, ego me tibi offero, ad ignominiam & con-
temptum quemcumque, eum maximè cujus ego causâ
non sum. Propter te negligi, contemni, abjici, etiam cal-
cari neutiquam recuso. Durus, & crassus hic bolus est,
sed tamen glutendus est, siquidem è pharmacopolio
Christi est. Christus ipse non solum ad omne genus in-
juriarum sese obtulit, sed illas etiam pertulit, tanquam
hominum abjectissimus, Factus pro nobis maledictum quia
scriptum est: Maledictus omnis qui pender in ligno. Galat. 3. vers. 13.

Quanti è Sanctorum numero, bipedum nequissimi
olim censebantur, neque illi hoc ignorarunt, sed tolera-
runt, etiam senserunt. Aliud est improbum haberi, aliud es-
se. Et hoc quidem omnes in cunis didicimus sine magi-
stro, illud autem pauci norunt, & si solum exactius, qui
omnem contemptum perinde ut magnos honores è
manu Dei, à divinâ voluntate acceptant.

Zz 2

Videte

B.V. Maria
quamcun-
que de se
opinione
Deo com-
misit.

Videte mihi matrem Domini, Beatissimam Virginem Mariam, divinæ voluntati toto pectore affixam, cum Iosephus sponsus ob vicinum partum trepidans circumspiceret abitum: an non Virgo siluit, nonne divinis nutibus quamcunque de se opinionem commisit? Hoc tam grandi exemplo permoti plurimi sanctorum, qui tamen gravissimorum scelerum in simularentur, tacerunt tamen, ignominiam tulerunt, seque totos cum omni infamia permiserunt Deo.

Anno 750.
Vide Bava-
riam San-
ctam P.
Matt. Ra-
deri part. 1.
Part. 1. An-
nal. Boicorū
P. Andreæ
Brunner.
pag. 602.

Sanctus Emmeramus Ratiponsensis Præsul, non tantum de turpissimo facinore falsò delatus, sed & immanissimè excruciatu est. Nam iussu Lanberti, qui Theodoni principis filius, ad scalas gestatorias alligatus est Emmeramus. Ad tormenta sic parato digiti manuum pedumque articulati præcis, aures, nares, brachia, pedesque truncati, lingua demum evulsa, quam non multò post secuta est anima. Ah! potuit hic Antistes integerrimus, totque alii innocentissimi hominum extremam subire ignominiam æquo animo, quid est quod nos mille delictorum rei, levem despicatam & injuriosam minimam tam intoleranter & indignè feramus? Si Dei voluntas, à quâ hæc omnia emanant, cordi nobis sit, non turbabimur facile quantumcunque gravi contemptu; in dñi ipsius quisque maximus contemptor erit.

Ioan. c. 20.
vers. 17.

Christus rediit Magdalene reverentissimos pedum amplexus paranti: *Noli me tangere*, inquit, *nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Perinde si diceret: Sæpius me videbis, Magdalene, nec copia negabitur & tangendi & osculandi, quod certè permissum plurimis ab Hierosolyma matronis simul id ausis. Equidem potuisset Christus jam tormentis omnibus, jam morte perfunctus, sui tactum jure merito vetare, quia tamen nondum conscenderat cælum, immortalitatis domum, non solum à charissimis discipulis, sed etiam à feminis se tangi permisit. At nos, homunciones vilissimi, qui non tantum in Beatorum domicilia nunquam ascendimus, sed necdum in sepulchra unquam descendimus, mortales etiamnum & miseris omnibus obnoxii, nihilominus toties vociferamur: *Noli me tangere*, *Noli me tangere* &c. Quid? tu mihi inultes improbe; ego à te tam contemptum appeller? tu meam auctoritatem sic violare, sic convellere? &c. Mille talia cum stomacho frequenter effutimus. O Christiani, quanta nos tener divinæ voluntatis ignorantia, quæ nos usque ad redit delictos, ut nec verbulo quidem minus honorifico tangi sustineamus. Qui divinæ voluntatis mysterium novit, ipse se ad quovis contemptum offert, & *Mi Domine*, inquit, dignissimus sum ab omnibus contemni, & abijci: ubi ergo id me fieri videro, quod pridem meritis sum, non indignabor? Scio, Domine, nemo me unquam despiciatui habebit, quin prius id faciendi à te potestatem acceperit. Nihil ergo conquerar, & vilior sum quam factus sum, & ero humilis in oculis tuis.

1. Reg. c. 6.
vers. 22.

§. III.

3. Ad mor-
bū quem-
cunque.

A Nimo ad Inopiam & Contemptum jam parato, sequitur tertia sui oblatio, *Ad morbum quemcunque*. Lampades sunt ex argento aut aliis metallis tam artificiosè pendulæ, eâ compage articulorum & vertebra- rum instructæ, ut quocunque & quomodocunque ferantur, nunquam tamen invertantur; servant illæ suum lumen, semperque cælum respiciunt. Huic tali lampadi non abimilis est, quisquis divinæ voluntati verè devotus est: quantumcunque enim acerbe tractetur & improbe, Deum tamen respicit divinamque voluntatem, nunquam non erectus ad suum conditorem, cui se frequentius sic offert: Domine, si me vis effæto & debili esse corpore; aut si vis me vivum esse cadaver viribus exhaustum, morbis intabescens, doloribus oppressum, anis pluribus lectulo affixum, ecce me promptum paratum, si tibi sic placeat, iniquissima etiam valetudo gra-

A rior mihi erit, quam quantumcunque diuturna sanitas mihi perinde erit ad tuum nutum, & valere, & in morbo esse, ac pro eo gratias agere. Observatu dignissimum est quod magnus ille virtutis magister Joannes Avila docuit his omnino verbis: *Plus valet, aiebat, tempore tribulationis unum Deo gratias, quam sex millia in prosperitate*. Nam Deo gratias agere, cum bene est, plerique omnes norunt, inter ad verba paucissimi.

Refert Ludovicus Blosius eximiam sanctitatis virginem interrogatam; quibus exercitationibus pervenisset ad eam vitæ perfectionem, respondisse: Nunquam ita doloribus oppressa fui, quin Dei amore graviore perferre expectarem, indignam me donis tam singularibus arbitrata. Hac non inferior alia, integerrima inde virgo, ipsos inferorum cruciatu sentire sibi videbatur; sed neque sperare poterat tam cito desituros. Quare ad Deum toto sese animo convertens: *Mi amantissime Deus*, aiebat, *memor esto te Dominum ac Creatorem esse meum*. En ego me in æquissimum iudicium tuum offero, & gratissima voluntati tuæ integrè resigno parata hunc infernalem cruciatum sustinere, quamdiu tibi placebit: ut me sicut vis in tempore atque æternitate. Ita se voluntati superempe impendens, mirabiles fecit in amicitia divina progressus.

Ergo etiam hac voluntas impellenda, ut circa valetudinem commodam & incommodam discat esse indifferens, & ad utrumque parata. Sed progrediendum ulterius.

§. IV.

Q VARTO, Ad mortem etiam quamcunque illam ultro se offerat voluntas hominis, & nec celerem obitum, nec diuturnam vitam aliter expectat, quam quemadmodum Deo placuerit. Dicat ergo voluntatis divinæ amator: Nec diu vivere, nec cito mori cupio, sed ubi bonè Jesu, aut illud aut illud obsequi. Sed neque prescribo, quo mortis genere cupiam obire; quocunque me volueris ad te vocare, eò sequi paratus sum. Solum, mi Deus, mortem repentinam deprecari cuperem, sed neque hic refractarius esse volo tuæ voluntati, si subita morte defungi me velis, sic fiat, ut vis, per tuam gratiam in tuâ semper gratiâ vivere conabor. Scio: *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Itaque nec immaturam mortem avertor, nec maturam postulo; sed nec miseram aut quam oculi reformident, adeò perhorresco. Credibile est multos placidissimè in mortem sopiti, & ad inferos rapti plurimos horribili acerbique morte decedere, & cælo recipi. Arcanum est hoc iudicium quam ut oculis patere possit. Ideo & mite moriendi genus, & immitte promptus excipiam, prout Domino visum fuerit. Nam, si vivimus, si morimur, Domini sumus. Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur.

Turonensis præsul Martinus jam animam acturus: Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Hinc Ecclesia viri virtutem laudans: O virum ineffabilem, inquit, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit! Sic decet: in utrumque monendi sumus ac firmandi; & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus.

Q. Curtius: Fortium virorum est, inquit, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Sæpe radio laboris ad vitam sui compelluntur ignavi: at virtus nihil in expertum omittit. Vitium omnium mors est, ad quam non pigre ire, satis est.

Utrumque hoc, & VIVERE & MORI, ex præscripto divinæ voluntatis amplectendum. Vivere nos vult Deus; vivamus, seu beatè, seu miserè, modò ad beatitudinem tendamus. Vult nos mori; moriamur animo pigre eamus ad mortem, ut quæ nos evocet ad immortalem vitam.

Sed heu quam multi moriuntur non sine querelâ quis

quis non recusans, quis non gemens exit: Atqui hoc non est divina voluntati ex toto se permittere, non esse contentum concessio tempore. Nos oportet in promptu habere quæ in incertum diem data sunt, & appellatos sine querela reddere. Pessimi est debitoris creditori facere convitium. Semper pauci dies erunt, si illos numeraveris. Cogita non esse summum bonum in tempore: quantumcumque est boni consule. Vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam morâ non fit beator vita, sed longior. Quâto satius est, non aliorum annos computare, sed suos benigne estimare, & in lucro ponere. Oportet te non de eo quod detractum est queri, sed de eo gratias agere quod donatum est. Quia ergo divinæ voluntati placet jam me mori, jam moriar, jam & lubens moriar.

§. V.

Quintò demum, Ad omnia omnino, quæcumque vel in tempore, vel in æternitate possunt evenire, id quæ sine omni exceptione paratissimum se Deo contulit, divinæ voluntati devotus homo. Aquilæ pullus si probæ sit indolis, fixissimis oculis obtineat solem: voluntas humana, si bona sit, divinam sic ardet, ut ultro se offerat ad omnia, nec excipiat quidquam. Quis hac in re generosior Paulo, qui divinam voluntatem sectabatur per strictos gladios, per micantes hastas, per volantia saxa, per Oceani fluctus, per varios turbines, per suavissimas tempestates, per avia deviaque, ad exequendam divinam voluntatem nihil huic viro viam obstruere poterat, non catcerum horror, non virgarum teueratium supplicium, non lapidum nimbus, non naufragiorum metus, non periculorum multitudo, non quotidiana moriendi necessitas: Paulus divino spiritui ardens, in ignes jussus, ibi. Siquidem: Optabam ego ipse, inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis. Quid ais Paulus, inquit Chrysostomus, nonne jam dixisti: Quis nos separabit à charitate Christi? Imò Chrysostome, quia Paulus unice amabat Christum, avelli cupiebat à Christo, & à suavissimo Christi consortio, eâ tamen lege, ut plures amarent Christum. Itaque optabat Paulus velut imperio cæci amoris, separari non quidem à charitate Christi, sed à beatitate & gloriâ cum Christo. En quàm immotos oculos hæc Aquila in divinæ voluntatis sole fixerat. Tanti est autem hæc tam fortis ad divinam voluntatem Conformatio, ut præ illâ parum sit vel mille Mundos ridere. Plerisque sanctorum martyrum non adeo difficile fuit suum sanguinem, ut rem vilissimam tyrannis propinare: inter tormenta solariis divinis affluerebant, hinc supplicia ipsamque mortem de facili spernebant. Craticulæ candenti, velut festus dator scanno, incumbit Laurentius; funestam crucem, velut thalamum regium salutat Andreas; lapidum imbrem, velut rosis guttulas admittit Stephanus. At verò qui sub onere tot ærumnarum quotidie facit, & lentissimè mori se sentit, nihilominus tamen in jus divinæ voluntatis concedit, & ad omnia se paratissimum offert, hic fanè rem magnam præstat: Si tamen, ut dixi, ad omnia æquè secundum Dei arbitrium promptus sit. Et ita fieri oportet. Nam omnia & corporis, & animi, & quæ vocamus fortunæ bona à Deo accipimus, quid in his reddendis excipere possumus? In scholis quidem tritissimum illud: Nulla regula sine exceptione: hic penitus explodendum. Divinæ voluntati regula sine omni exceptione est. Quisquis secundum hanc cupit vivere, discat & se, & sua omnino omnia divinæ voluntati subicere. Hujus rei illustrissimum nobis exemplum proponens Bernardus: Audi denique hominem, inquit, quem secundum cor suum invenerat Deus. Paratum, inquit, cor meum, Deus, paratum cor meum. Paratum ad adversa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum ad universa quæ præceperis. Vis pastorem ovium facere? Vis constituere regem populum? Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

Tom. I.

A Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Digna religiosissimo principe demissio animi, & propriæ voluntatis abdicatio. Quid est enim? Non places. Si dixerit Deus: Nolo te regem esse, nolo te vivere: Præsto sum, inquit David. Si jussit Deus: Volo te iterum exulem, iterum esse fugitivum, & loco mali forceri pessimum habere filium, qui patris diadema & jugulum petat. Et tamen, Præsto sum, ait David. Quod si Deus imperet: Volo te rursum subire speluncas, & ferarum latibula; iterum vivere mendicatio, & quotidie mortis adire discrimina. Nihilominus, Præsto sum, ait David. At si dicat Deus: Volo te solatii loco, in calamitate tuâ proscindi convitiis, etiam à tuis subditis lapidibus insuper appeti, & diris omnibus devoveri. Nec istud quidem respuo, ait David, Dominus faciat quod bonum est coram se. O sanctissimi principis heroicam virtutem quæ vel solâ fieri potuit acceptatissimus Deo, præsertim cum hæc lacrymans diceret, & veste lugubri indutus. Tanti faciebat, placere Deo, vir secundum cor Dei, ut eam gratiam libertate & liberis, & omnibus divitiis, vel ipso regno, vitâ etiam ipsâ libentissimè redempturus esset. Modò David divinæ voluntati possit obsecundare, ad illa omnia paratissimus dicebat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

CAPVT II.

In quod exitum pertrahat voluntas propria, si non patitur se frangi.

Mellissimus doctor Bernardus: Propria voluntas, inquit, quantum in ipsâ est. Deum perimit: omnino enim vult Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult enim cum non esse Deum, quæ vult eum aut impotentem aut injustum. Deinde ad questionem quæ infantiam sapiat, aut stultitiam, respondet. Cui rei explicandæ subseruiat hic apologus.

§. I.

Qvondam fex hominum, & furum, lavernionum, effraكتورum ampla societas libellos supplices porrexerunt iudicibus, rogantque patibula & furcas auferrent, rem fœdam ante urbes, parcendum oculis & natibus viatorum transeuntium. His à iudicibus responsum est: Si quidem antiquatum cupiant morem patibulandi, prius ipsi consuetudinem abrogent furandi, iudices in morâ non futuros, quin protinus cruces tollant & patibula, modò ipsi prius cessare jubeant furta. Hic è furum albo audacior unus: Venerabiles domini, ait, nos furorum auctores non sumus: quod ergo nos non invenimus, nec etiam abrogabimus. Quibus iudices responderunt: Neque nos, o viri, patibula excogitavimus, ergo nec etiam abolebimus.

Humanæ gentis primi parentes in furto deprehensi sunt: hæc scelerum origo, hæc inhareris peccati contagio, & hinc inferorum supplicia. Nos jam feri nepotes ex hac furum familia querimus gehennam constitutam, & ideo sæpe libellos supplices Deo porrigimus, & rogamus: O Domine, tantum non deturbes nos ad Erebum, o Domine si rogos Avernales tolles, continuo nos metu liberares. Jure optimo responderet Deus: Auferre vos culpam, & ego extinguam gehennam; cessent noxæ, & sopientur flammæ. Sed nos iterum obducimus: O Domine, nos primi scelerum inventores non sumus, cur alienam & nativam labem luimus? hæc noxa est primigenia. At nobis Deus iterum: Nec ego, inquit, causa sum inferorum, sed Superbia, sed Inobedientia: Neque istud Orci principium fuit, torquere homines, sed diabolus: inferorum ignis paratus est diabolo & angelis. Ne ergo conqueri possitis, vos alienis malis involvi, mitissimum ego decretum per servos meos pronuntiavi: curabo,

Z z 3

ri curabo,

Bern. ser. 3.
de resur.
Dom.
Quomodo
gehenna
potest ex-
tingui.

ri curabo, cui nemo poterit obrectare. Quod hoc ob-
scro de cretum, quis pronuntiavit? Bernardus est fideli-
mis Dei servus non infirmus, tam paucis quam claris ver-
bis jam pridem proclamat, quâ ratione gehenna facili-
tate possit extinguere. Hæc proclamantis verba sunt: *Cesset
voluntas propria, & infernus non erit.* Et huius rei luculen-
tâ rationem sic reddit: Quid enim odit aut punit Deus
præter propriam voluntatem? In quem ignis ille desce-
ndit, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc cum fri-
gus aut fauonem, aut aliquid tale patimur, quid læditur
nisi propria voluntas? Quod si voluntarie sustinemus,
ipsa jam voluntas communis est (tam scilicet Dei hæc
instituentis, quam hominis hæc sustinentis). Porro vol-
untas propria quæ furore Domini majestatis impu-
gnet, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. Primum
namque seipsam subtrahit, & subducit ejus dominatui,
cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum effici-
tur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuriâ? Addit ad-
huc, & quod in te est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit
& diripit. Quem enim modum sibi ponit humana capi-
ditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modi-
cam, similiter mundum lucrari conatur universum, si
non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas?
Dico fiducialiter, nemini qui sit in propriâ voluntate,
posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel re-
bus istis esset contenta, nec in ipsam (horribile dictu)
desceverit auctorem. Hæc est crudelis bestia, fera pesti-
ma, rapacissima lupa, & læta & livida. Hæc est im-
mundissima lepra animi, propter quam in Jordane mer-
gi oporteat, & imitari eum qui non venit facere volun-
tatem suam. Unde & in passionibus: *Non mea, inquit, volun-
tas sed tua fiat. Cesset voluntas propria, & infernus non erit.*
Non ergo puerilis, nec vana est questio; An, & quomo-
do extingui possit gehenna? potest omnino. Non absur-
dæ sunt preces, rogare Deum, ut destruat Orcum. Para-
tus est Deus id facere; unicum istud in sui operis mer-
cedem postulat: *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.*
Sed quis omnes omnino homines eo adigat, ut suam
quique voluntatem abdicet, eamque impendat divinæ?
Tu, mi homo, si rem serid agas, tu tuam in te volun-
tatem expugna, & jam sustulisti sedem illam cui alligan-
dus, & in quâ cruciandus fuisses apud inferos, perinde
ac si Erebus destructus, & Erebi flammæ forent extin-
ctæ. *Cesset voluntas propria, cesset, & infernus non erit.* Hoc
idem & alii cum Bernardo clamant: *Oculus, ait ille, jan-
ua cordis est & nuncius, claudere oculum & voluntas habendi
non erit, cesset voluntas, & infernus claudatur.*

August. vel
quisquis est
auctor, ho-
mil. 31. ad
fratres in
eremo.

§. II.

Alii quanti patiuntur multa graviâque, sed inviti,
sed repugnantes, neque enim suam divinæ volun-
tati addicunt. Deus vult illos pati, hancque voluntatem
suam apertissime exponit, cum ea, quæ patiuntur, im-
mittit, non aliter certe quam si vox cælo laberetur: Volo
vos pati. At nollent illi, & modo possent, onus quod fer-
runt, excussissent jam pridem. En voluntatem propriam
cum divinâ minimè consentientem.

Norunt parentes, quanti laboris sit educare liberos
illos quorum contumacia prima non est fracta, quoties
in die clamandum: Sile, quiesce, hoc age, relinque hoc,
omitte istud. Quandoque tam irrequieti eas domi tur-
bas excitant, ut etiam mitissima mater graviter excan-
descens, virgas, aut baculum, aut quidquid ministrat ira,
corripit, & in hunc, illum, ac proximum quemque filium
fuste sæviat, quandoque solis vocibus tonans exclamet:
Non estis mei liberi, non agnosco vos, nihil mei cerno
in vobis, nec patris nec matris ingenium refertis; abite
ad carnificem degeneres. Ita Deus agit nobiscum, veluti
parentes cum inquietis ac contumacibus liberis. Quo-
ties ebrioso aut luxurioso minatur? quoties illi suam
crapulam, huic luxuriam suam arcanis objurgationibus

A ob oculos ponit? quoties dehortatur & monet: En, cor-
pori nocet & animo; arcam & valetudinem exhaustis,
gratiam meam & celum amittis: scis quidem isthæc à
me verita; nosti voluntatem meam ab hac omni turpi-
tudine quamplurimum abhorre; nec ignoras quam
extremè abominer & detester voluntatem meæ tam re-
fractariam. Tandem mitissimus pater virgas rapit aut
baculum, & improbitatem filii sic punit, ut puniti se
sentiat. Ubi hoc sapius factum, nec ad frugem se corri-
git filius, aut è virtutibus emergit, demum iratus pater: *Super
quo, inquit, percutiam vos ulera? Frustra percussisti filios discipli-
nam non receperunt. Spuria vitulam non habuit radiis super-
altas. Abite improbi, dimittam vos secundum desideria cor-
dis vestri, ibit in adinventionibus vestris. Gravissima hæc
patris ira est formidabilior omni supplicio.*

Ita etiam cum homine superbo & arrogante agit
Deus, cuique incepat: Nec mihi places, nec homini-
bus, quibus me spero, plurimum placere cupis; ab his crea-
turis quos arroganter tuæ applausus speras veras, ridetis: de
me à tibi voluntate pridem constabat: scis quod super-
borum neminem tolerare possim, nec Angelum qui-
dem, ne dum hominem; superbis me singulariter resis-
tere quis nescit? superbiæ tuæ tuam nihilominus perse-
veras. Sic Avarum Deus, sic & Iracundum; sic Invidum
& Obrectatorem secretis impulsibus trahit ad melio-
ra, suamque iis voluntatem variè ingerit sedandam.
Unumquemque ducit Deus per viam ipsi convenien-
torem. Regi Hebræo Sauli in os obijcit: *Nōne cum
parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es
Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad pradam & ad
es, & fecisti malum in oculis Domini?* &c. Pro eo ergo quod ab-
jicisti sermonem Domini, abijcit te Dominus ut sis Rex. Quo-
niam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi
scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quilquis igitur di-
vinæ voluntati etiam modo repugnas, veni, obsecro, veni,
non ad aquilarum, sed ad corvorum gymnasium te du-
cam, hic discet.

§. III.

Cur, quæso, Deus Eliam Thesbiten à corvis velut à
dapiferis cibos voluit accipere? Quid hoc rei
avium furacissimæ prandium & cenam perferunt ad
eremicolam obsequiis fidelissimis. Hoc ideo voluit
Deus, ut te, mi homo, doceret, quàm etiam brute auto-
mantes, vel invitâ naturâ, voluntati suæ obsequerentur.
Quid mirius, quàm à corvo carnis appetentissimo, si-
mul & rapacissimo deferri carnes, quas in viâ centies
ipse devorasset, ni Dei voluntas aliud fieri mandasset.
Sed est qui hic obijcit: Facillimum est Deo, quacun-
que feras ad imperium faciendum cogere: non ideo pa-
rent, quia volunt, sed quia debent. Ita est, ut dicis, & vel
ideo etiam par esset te voluntati divinæ obsequentissi-
mum esse, quia te Deus imperiis non coactis sed volun-
tatis urget, liberam te servitutem vult servare, & sic
quamplurimum promereri. Sed quæso te, à scholâ cor-
vorum, in antrum Æoli digrediamur, ubi etiam ventor-
um furor dicto audiens est: *Imperavit ventis & mari, &
facta est tranquillitas magna.* Hinc populi admiratio: *Qua-
lis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* An non & rupes ad
luctuosissimum expirantis Domini spectaculum inge-
muerunt, in iustitiam filiorum testatæ luctum? Solus homo
in rupem obtrigescit, & eam sæpe quam cepit conti-
maciam pertendit. *Pravum est cor hominis & infrenabile,* &c.
verè INSCRUTABILE. Incipe, amabo, servatū hanc vo-
luntatem, & abditissimas illic invenies cogitationes, quæ
Deo reluctentur tacitis his suspiriis: Vis Domine, ut mi-
micos diligam? ut omnibus me submittam? ut volupta-
tes meas ejurem? durum imperium, & in omnia alia vo-
luntas mea fertur. Quid igitur faciam? dissimulabo
rem, & voluntati non nimium renitatur, tunc non nimium
obsequar. O infrenabile, & durum cor hominis!
Narrat

Narrat Trebellius Pollio, Marium Romæ tyrannum
septimum fuisse. Hic uno die factus est Imperator: altero
imperavit: tertio interfectus est à gregario milite, qui
dum sicam in pectus Marii adigeret, acerbissimum hoc
addidit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Nam et cultarii of-
ficia pervenit ad diadema. Ei, qui divinæ voluntari re-
fractarium se gerit, iure sic insultatur: Hic est gladius
quem ipse fecisti; tuo te gladio ipse jugulas, hoc est,
PROPRIA VOLUNTATE. Quod verò voluntas tam
promta est ad peccandum, inquit Cæsius, causa subest:
habet enim diabolus duos satellites seipso nequiores,
quibus illa impellitur, Carnem & Mundum. Caro con-
cupiscit, Diabolus concupita incendit, Mundus incensa
ne extinguantur, se obijcit: A Carne multa oriuntur vi-
tia, Mundus plurima offert oblectamenta, Diabolus in-
numerabilia adhibet vastimenta. Ita res in expedio est,
ut olim Hieremias vati monstratum: *Nōne videtis quid isti
faciant in civitatibus Iudæ, & in plateis Hierusalem? Filii con-
solentur ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres consper-
gent adipem, ut faciant placenter regine calii, & libent dis
alienis & me ad iracundiam provocent.* Hic naviter sanè res
agitur, cum uterque parens & liberi mutuam fidei ope-
ram locant. Et cui hæ placenter piasunt? reginæ calii,
sive, lunæ; sol enim rex calii. Voluntas humana lunæ si-
milissima, continuis gaudet mutationibus: huic reginæ la-
guna finguntur & collyreæ. Caro tanquam clara filia,
ichidia subministrat, conspiciensque: Superbiæ pater
diabolus, flos excirat: Vana, velut mater, massam
potitur variè subactam; illecebras, sermones, invitatio-
nes, voluprates suggerit. Hinc dulce fit popanum,
hinc sacrificium nobile instruitur, non Deo, sed propriæ
voluntati.

§. IV.

Hanc humanæ voluntatis contumaciam Augu-
stinus psalium contumacium exponens, elegantilli-
me proponit hunc in modum: Rectum dicitur cor homi-
nis, quia omnia quæ vult Deus, & ipse vult. Intendere, Orat ali-
quis ut nescio quid non eveniat, orat, & non prohibetur. Peti-
quantum potest, sed contra voluntatem ipsius evenit aliquid
subjugatum se voluntati Dei, non resistat voluntati Magnæ, quia
& ipse Dominus sic illud exponi. Ostendens infirmitatem no-
stram in q, quando passurus erat, ait: Tristis est anima mea
usque ad mortem &c. Quid erat illa vox nisi sonus infirmitatis
nostre? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte. Sed
habere rectum cor, vident mortem quantum possunt: sed si non
possunt, dicant quod ipse Dominus, non propter se, sed propter
nos, dixit. Quid enim dicit? Pater, si fieri potest, transeat à
me calix iste. Ecce habes voluntatem humanam expressam: vi-
de jam rectum cor? Verum non quod ego volo, sed quod tu
vis Pater. Si ergo cor rectum sequitur Deum, pravum cor
resistit Deo. Aliquid illi contingit adversum, clamat: Deus, cor
tibi feci quod commisisti peccari. Se justum vult videri, Deum
injustum. Quid tam pravum? Pravum est, quia tortum est, &
tortam regulam putat. Corrige te, & invemes rectum, à quo te
depravasti. Ille iussit, te injusse: id eo perverfus es, quia homi-
nem justum dicis, & Deum injustum. Quem hominem justum
dixit? Teipsum. Quando enim dicis, quid tibi fecit? justum te pu-
tas. Sed respondet tibi Deus. Verum dicis, mihi mihi fecisti, om-
nia enim tibi fecisti. Si enim mihi aliquid fecisses, bonum fe-
cisses. Quodquid enim bene fit, mihi fit, quia ex precepto meo fit.
Quidquid autem mali fit, tibi fit, non mihi fit, quia non facit
malum aliquid nisi sibi, quia hoc non ego jubeo. Idem jam Chris-
tismus prælat de eadem voluntatis contumacia eruditissi-
me disserit in hæc verba: Ergo bonus Deus Israël. Sed qui-
bus? Rectis corde. Qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam
ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei ad volun-
tatem suam curvare conantur. Breve præceptum est, ut homo
dirigat cor suum, ut habere rectum cor? Tu fac quod vult Deus:
nisi Deum velle facere quod vis tu, &c. Hoc cogitant qui recto
sunt corde, qui voluntatem Dei sequuntur, non voluntatem

A suam; sed qui sequi Deum volunt, faciunt illum præcedentem & se sequentes, non autem se præcedentes. & illum sequentem. Et in omnibus eum inveniunt, sive ependentem, sive consequentem, sive exercentem; sive coronantem, sive purgantem, sive illuminantem; scilicet Apostolus ait: Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Rom. cap. 8.
vers. 28.

En hi germanifitimi aquile pulli sunt, qui fixis oculis intuentur solem, qui animam ad divinam voluntatem ferio applicant. Secus illi qui tacite nunquam non alterantur cum Deo. Nunc eis celi rigor, nunc pluvia tempestas difplicet, nunc nimium frigus, nunc nimios calores queruntur; modo Deus non fatis tribuit necessitati, modo istum aut illum improbum finit emergere, modo inimicos non punit prout illi videbantur puniendi: semper caulantur, assidue obloquuntur, nihil facit Deus quod illi ex toto approbent. Hoc illud cor pravam, hæc propria voluntas, de qua etiam audiendus post Augustinum Bernardus:

§. V.

Grande malum, inquit Bernardus, propria voluntas, Bern. ser. 77.
quā se ut bona tua tibi bona non sunt. Quia nihil omni- in Cant. sine.
no quod propriā inquitamur se voluntate, gustabit is qui pa-
scetur inter lilia. Hæc autem omnia, similitaq; ac dissimilia Serm. in
mala, ex una radice pullulant propriæ voluntatis. Huius enim
sanguisugæ duæ sunt, insatiabiles filie, clamantes, affer, affer.
Siquidem nec animus vanitatem, nec voluplate corpus aliquando
satiatur, ut scriptum est, non satiatur oculus visu, nec auris
impletur auditu. Fuge sanguisugam banc, & omnia reliqua
sunt. Hæc enim omnia trahit ad se. Pone hanc, & jugum quam
multiplex abieciisti. Voluntas propria, subvertens corda homi-
num, & rationis oculos claudens, inquietum malum, quod spir-
itui semper incubans, inexcogitabilia medicatur. Ecce, unde
sunt scandala, unde turbatio, nisi quod propriam sequimur vo-
luntatem. & temere quod volumus in corde nostro desinientes, si
quo modo id prohiberi contingat aut impediri, contrinunt etiam
in impatientiam, in murmurationem, in scandalum prout su-
mus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum, Rom. cap. 8.
num his qui secundum propositum vocati sunt sancti, vers. 28.
& qui nobis casus videtur, sermo quidam Dei est, suum nobis
indicans voluntatem. Caveamus igitur ad propriā voluntate, Serm. de
tanquam ad viperā pessimā & nequissimā, & quæ sola deinceps
damnare possit animas nostras. dupl. bapt.

Joannes abbas jam jam moriturus, teste Cassiano, *Cassian. l. 1. r.*
rogatus est ab iis qui morientis lectulum circumferebant, *inquit. c. 28.*
breve momentum daret in hereditatis vicem. Ille in-
gemiscens: Nunquam feci meam voluntatem, inquit,
neque quemquam docui, quod prius non ipse fecerim.
Pauci jam tales, & ex centenis milibus vix unus. Innu-
meri sunt qui verius dicerent morituri: Quidquid po-
tui, ad meum sensum feci, meae me voluntati totum tradi-
di; multa docui, plurima praecepi, quae ipse non feci.
Optimus ille senex Pimenius querenti, quâ ratione nos *Pelagius li-*
dæmones impugnant, respondit: Dæmones nobiscum *bell. 10.*
non multum pugnant, quia voluntates eorum facimus. *num. 62.*
sed nostrae nobis voluntates, dæmones facti sunt, & tri- *& Paschas.*
bulant nos. Quod Achilles vir religiosissimus hoc apo- *num. 3. de*
logo declarans: Arborem, inquit, in monte Libano col- *impugn.*
locutæ dixerunt: Quàm grandes sumus & proceræ, & *dæm. &*
tamen ferro non magno incidimur; & quod piceus est, *num. 4.*
a nobis sumuntur arma quibus impugnemur: ferrum ut
vulneret nos, manubrium à nobis accipit. Talis arbor
est homo, insinctus diaboli, ferrum, voluntas hominis,
manubrium.

Q uantū melior Jobus concionator in fimo, quān
Adamus in paradiso? Ille: Sicut Domino placuit, ita fa- Job cap. 1.
ctum est. Ille: Vocem tuam audivi, & abscondi me. Elegan- vers. 21.
ter de Jobo Tertullianus: Immundus, inquit, alceris suis Genes. c. 3.
redundantiam magnā equanimitate disfringebat, & erum- Tertull. l. de
pentes inde bestiolas, in eisdem specus & pastus foraminose car- Penitentie.
nis ludendo reprobabat. Agnovit vir fanculusque, hanc Deicap. 14.
Zz 4 esse

esse voluntatem, se taliter exerceat, ideo si quis forte vermiculus fugam meditaretur, eum in coriosam carnem denuo coquebat, perinde si diceret: quid fugis? ad lacerandum me destinatus es: fac officium, & corpore meo pro macello utere. Nam ille idem omnino Dominus, qui mihi tot millia ovium, boum, camelorum liberalissimè dedit, hic etiam mortificantes hos vermiculos benignissimè in me immisit. Utrumque ex eadem omnino manu est, ideo tam hoc quam illud a quo animo acceptandum.

Non aliter Simeon Stylites ebullientibus è corpore suo vermibus dixit: Manducate quod vobis Dominus dedit. Longè aliter vermiculosus aliquis & impatiens Herodes dixerit: Ite in malam maximam crucem exeerandæ bestiolæ; pendulam patibuli turbam invadite; vestri juris sunt cadavera, quid vivos vellicatis, quid me etiamnum spirantem obfideis? Hi propriæ voluntatis improbi latratus sunt, contra divinam voluntatem. Ver-

Chrysost. in cap. 7. Gen. homil. 24. post med. & hom. 32. circa med. Ista c. 65. vers. 12.
 rissimè Chrysostomus: Vnde, inquit, in confesso fuerit, quod voluntas nostra malorum omnium causa est. Nullus igitur accuset pulchritudinem, nullus inutilia verba hæc dicat: Hanc perdidit forma, huic pulchritudo causa fuit interitus: perversa voluntas malorum omnium causa est. Jam olim minatur eo quod vocavi, & non respondisti; locutus sum, & non audistis; & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Hæc illa malorum Lerna est, voluntas propria, Quæ nolui elegistis.

CAPUT III.

Voluntas propria quâ ratione subjungenda sit divini, in rebus adversis omnibus.

Nulla voluntas bona nisi consentiat cum divina.
 Nec ullius Angeli, nec hominis voluntas esse potest bona, nisi consentiat cum divinâ: quando autem magis illa cum hac consentiat, tanto melior & perfectior erit, quod minus, hoc inferior & pejor. Unica Dei voluntas amulsa est, & regula, omnium omnino voluntatum celo terraque, nec ulla unquam voluntas dici poterit recta, nisi ad hanc regulam directa sit.

§. I.

In psal. 32. & 35. & 100. de quo prior capite.
 CUM IESAIAS fates frequentissimè commendat RECTOS CORDE, Augustinus disertissimè & ad rem nostram appositissimè hanc CORDIS RECTITUDINEM exponens: Videtis, inquit, quanti disputant contra Deum, quam multis displicent opera eius. Cum enim facere voluerit contra voluntatem hominum, quia Dominus est, & novit quid faciat, nec tam attendit nostram voluntatem quam utilitatem: illi qui malunt suam potius voluntatem impleri, quam Dei, volunt ad suam voluntatem flectere Deum, non suam corrigere ad Deum. Rectos decet laudatio. Qui sunt recti? Qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei: & si eos perturbat humana fragilitas, divina consolatur equitas. Quamvis autem corde mortali privatim aliquid velint, quod sua interim cause vel negotio, vel præsentis necessitati conveniat, ubi intellexerint & cognoverint, aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati suæ, & voluntatem omnipotentis voluntati infirmæ, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum Dei voluntas à voluntate hominis. Aliquid proprium velle, difficile est ut non tibi contingat: sed statim cogita, qui sit supra te: illum supra, te infra illum: illum Creatorem, te creaturam: illum Dominum, te servum: illum omnipotentem, te infirmum: & corrigens te subjungensque voluntati eius ac dicens: Verum non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Quomodo disjunctus es à Deo, qui jam hoc vis quod Deus? Eris ergo rectus, & te decet laudatio, quoniam rectos decet laudatio. Si autem curvus fueris, laudas Deum quando tibi bene est, blasphemias quando tibi male est &c. Et eris insulsus puer in domo patris, amans

A patrem si tibi blanditur, & odio habens quando te flagellat: quasi non & blandiens & flagellans hereditatem patris. Vide autem quemadmodum debeat rectos laudatio. Audi vocem recti laudantis ex alio psalmo: Benedicam Dominum in omni tempore, & semper, sive in prosperis sive in adversis. Nam si in prosperis & non in adversis, quomodo omni tempore? Quomodo semper? Et audivimus multas multorum tales voces, quando illis provenit aliqua felicitas, exultant, gaudent, cantant Deum, laudant Deum: non sunt improbandi. Sed isti qui jam Deum laudare ex prosperitatis parte ceperunt, docendi sunt patrem agnoscere & flagellantem, nec murmurare adversus corrigentis manum, ne semper pravi remanentes exheredari mercantur. Rectos decet laudatio. Quid est rectus? Nihil illa displicat quod fecerit Deus, possint & in adversis Deum laudare & dicere: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino in capite placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Tales rectos decet laudatio, non primò laudaturos, postea recuperaturos. Discite gratias agere Deo, & in prosperitatibus & in tribulationibus: Discite habere in corde, quod habet omnis homo in lingua, Quod vult Deus. Ipsa lingua popularis, plerumque est doctrina salutaris. Quis non quotidie dicit: Quod vult Deus hoc agat.

§. II.

HÆC Augustini luculenta dissertatio, misicè cum la confusione dilucidat, tum confirmat hanc omnem de divinâ voluntate doctrinam, quæ vel ideo commendatissima sit omnibus, quod eam sanctissimi ac eruditissimi viri cupiverint à nemine non quam optimè capi, præsertim cum in hoc omnis Christianæ vitæ verferetur cardo. Sed omnes hic pondum abire placet ab Augustino, illuminatissimo doctissimoque, cujus verba prorsus dignissima sunt quæ ad testimonium citentur fidei calamo. Hic idem Hippo- nensis sanctissimus præsul, quâ ratione in adversis etiam à divinâ voluntate nec latum quidem unguem sit recedendum, in hæc omnia verba consignat: Quod sepe diximus, illi sunt RECTI CORDES, qui sequuntur in hac viâ voluntatem Dei. Voluntatis Dei est aliquando ut sanus sis: aliquando ut egrotet. Si, quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quando egrotas, amara est voluntas Dei: non recto corde. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam: & rectum habebis cor. Bene est in hoc saculo & benedicatur Deus qui consolatur: laboratur in hoc saculo & benedicatur Deus qui emendat & probat: & eris recto corde dicens, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et hoc non tantum Augustinus Hippo- nis Episcopus, sed etiam David Israëlitis Rex quâ verbis quâ exemplis insignissimè docuit: Cum enim Absalonem filium rebellem fugeret, & sacerdotes Arcam fœderis eidem fugæ velut præsidium assumpsissent, Rex Arcam referri præcipiens: Si invenero, inquit, gratiam in oculis Domini, reducat me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places: presto sum, faciat mihi quod bonum est coram se. En, quam rex iste potentissimus, in miserabili fugâ, in extremis angustis, sibi tamen præfens fuerit, & compos suis, quàm ad Dei voluntatem attentis oculis respexerit: Redibimus, inquit, si Deo placuerit: sin aliter illi visum fuerit, Quod vult Deus agat.

O Christiani, si hoc intelligentiâ & ratione, prout recte par est, comprehendere tam vellemus, quàm facile possemus, vix amplius ulla difficultas foret in tolerandis adversis, nec nos ullam tam grande malum premeret, quin illud tranquillè & perlibenter sustineremus. Christus ante mortem in olivatio horto ea de Patris & suæ voluntate locutus est, quæ argumentum sunt, ad calamitates quasquæque perferendas, nihil esse quod magis animet, quàm unionem humanæ voluntatis cum divinâ. Et quàm hoc in Christo ipso luculentum & ante preces par-

vidus, tristis, pallidus, tremat ac horret futuræ mortis imaginem: post preces, post tantam paternæ voluntati delatam reverentiam, velut relapsis viribus: *Surgite, inquit, etamus, occursu voluntario salutarum hostes, & initium facturi cruentæ tragediæ. De hoc etiam præclare Augustinus: Unde, inquit, gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & prestans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem, in qua suam figuravit & nostram, quia caput nostrum est. & ad eum sicut nobis, tanquam membra utique pertinemus: Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hac humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam privatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominē, ut quidquid in illo aliquantum curvum esset, ad illum dirigeret qui semper est rektus: Verum non quod ego volo, ait, sed quod tu Pater &c. Hic ostendit quandam hominis propriam voluntatem, ostendit & correxit te. Ecce vide, inquit, te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit.*

§. III.

Catharina Senensis de seipsa: Docuit me Christus, inquit, ut mihi intra meipsam secretum conclave stuerem. Et quòdnam conclave istud? Humanæ voluntatis cum divinâ Unio. Domicilium istud primo ingressu videtur angustum, sed qui voluerit illi adfuerit, demum compertit id cælo esse amplius, & castris omnibus vel munitionibus securius: hac rebus turbidis irruere vetitum; foris stabulantur; hoc enim tutissimum asylum ab omni calamitate: nec superi, nec inferi nocere illi queunt, qui voluntatem suam in omnibus cum divinâ congruentem retinet: huic unica lex est. *Quod vult Deus hoc agat.* Eleganter Augustinus: *Venit dolor meus, inquit, venit & requies mea. Venit tribulatio mea, venit & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace aurificæ? in monili lucebit, in ornamēto lucebit: patiat tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc stat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, à sordibus illud excutitur. Fornax Mundus, palea, inquit, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio; ubi me ponit aurifex, tolero. Inbeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardet licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus carco. Quare? Quia Deo subijciatur anima mea.*

En, vera subiectio humanæ voluntatis erga divinam, omnis boni origo est. Rectissime dixit pius ille scriptor: * Non est sacrificium majus aut Deo gratius, quam in omni tribulatione sese conformem facere divinæ voluntatis beneplacito.

Magnus ille Abrahamus hac in re summè laudandus. Nam ut orbi testatum fieret, Abrahamum omnia ex præscripto divinæ voluntatis facere, Deus voluntatem suam aliquoties quasi mutans, aliis atque aliis & in speciem contrariis ac planè rigidis imperiis hominem fatigavit. At verò Abrahamus ad omnem divini arbitrii numerum obsequentissimus semper, hoc omni conatu ac studio, hoc omnibus viribus egit ut se totum suæque omnia uni atque unicæ Dei voluntati quàm liberalissimè impenderet. Notant Hebræi Abrahamum decies rigide tentatum, an id perpetuò veller quod voluit Deus. Numeremus experimenta.

1. Jubetur solum vetere, & patriam ac cognatos exilio mutare. 2. Ab annonæ difficultate iterum expellitur peregrinator in Ægyptum. 3. In Ægypto apud Pharaonem regem, periculum vitæ, uxor pudicitia subit, & à marito abstrahitur. 4. Ob continuas famulorum rixas à charissimo Lotho, quem ut filium habuit, divellitur. 5. Ut Lothum bello captum in libertatem asserat, contra quatuor reges domesticum vernarum exercitum educit. 6. Agarem fidam famulam, & jam uxorem, impulsu Saræ domo cogitur exigere. 7. Jam

A senī & grandevo Circumcisio imperatur. 8. Abimelech rex Geraræ rursum ei uxorem admittit. 9. Agarem cum filio Ismaele rursum ædibus pellere jubetur. 10. Filium unigenam, amantissimum Isaacum, miraculo natum, in summam posteritatis spem educatum, suâ manu trucidare imperatur. En acervum calamitatis! præter tot alia non minùs acerba, sed minùs nota. Abraham tamen permansit Abraham, hoc est, sibi similis & constantissimus divinæ voluntatis cultor. Hic vir, hic est qui optimè intellexit divinam voluntatem omnium miseriarum suarum maximum esse levamentum.

Hic observandum, montem Moria in quo Isaacus victima Deo cadere debuisset, in proverbium abiisse: *Vnde usque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.* Hic mons, Dominus videbit, afflictis omnibus ascendendus. Statuant secum omnes ærumnosi, & quibuscunque male est, Deum hæc omnia quæ ipsis eveniunt, prævidisse ab æterno, & unâ decrevisse, ut sic fierent in tempore quæ sunt: atque hanc eandem Numinis providentiam sibi suisque rebus omnibus adfuturam.

§. IV.

Clades autem & calamitates universas à Deo immitteri, hoc nobis exemplum monstret. Quemadmodum Deus illi provinciæ bellum, huic pestem; ita illi homini podagram, huic nephritidem, isti febrem immittit: hoc verò bellum, & illa pestis, & hæc podagra aut nephritis, aut febris ista, sunt à Deo divinæque voluntate immissa. Certissima est ista, & infallibilis notitia. At quomodo sese provincia illa, & ista, adversus bellum & pestilitatem, & quæ homines isti adversus morbos se gerant? An possunt nolle, quod vult Deus? non possunt. An ergo nullus defensionis locus est, si tamen illam admittat Deus. Ecquâ ratione se gessit Abram in monte Moria sacrificaturus Isaacum? Circumspexit, & vidit hærentem in vepribus hircum, hic succedanea subditus est hostia Isaac. Ita prorsus regnum bello afflictum, provincia pestilentia infecta, homo podagrâ vexatus circumspiciat quid liciti remediū sit, eoque utatur avertendo bello, tollendæ pesti, mitigandæ podagræ. Si hoc idem velit Deus, & illud averti, & istam tolli, & hanc mitigari submitter hircum, suppeditabit remedium ad illa omnia lenienda, aut in integrum restituenda: si nihil sit remediū, aut successum non habeat, clarissimum est velle Deum, ut sacrificetur Isaacus, ut regnum illud bellis atteratur, provincia illa exhauriatur peste, hic homo podagrâ torqueatur. Eadem prorsus est ratio & paupertatis, & ignominia, omniumque aliarum calamitatum & miseriarum. Ergo, ubi Deus subsidium monstrat, liberatur Isaac; sin, mactandus est. Ergo in his omnibus æqualissimè semper voluntas humana se subdat divinæ. Hoc est armis aureis pugnare in omnem Casum & Fortunam, Deum cogitare, Deo subijci, & in omni eventu, mentem hanc flectere ad magnam illam Mundi mentem.

Sanctus Remigius Rhemenis præsul, prævidit maximam annonæ caritatem in proximum annum; eam ob rem, magnam frumenti copiam collegit alendæ plebi. At ex his ipsis, quorum bono id facere instituit vir sanctus, homines potulenti & projectæ audaciæ fuerunt, qui inter pocula dicerent: Quid senex noster Jubilæus (erat jam ultra quinquaginta annos sacerdos) ecquid in animo habet, an novam urbem condere, quid sibi volunt tot acervi tritici? Annonam videtur velle comprimere. Venite, fingamus fabricam aliquam ad hunc senem, struamus sycophantiam. Facile erat malevolis & jam antè currentibus calcar addere. Itaque ædibus cum impetu provolant insani, & mox ad frumenti metas. Hic ardentem tædam subjiciens unus: Videamus, inquit, quàm avidè famelicus Vulcanus Cererem sit devoraturus. Audacissimum hoc facinus mox celerī nuntio ad

Exemplum illustrissimum hominis recusantis
divinae voluntati suam subungere.

Vates Hebraeus Jonas nobile fuit paradigma hominis, qui multā tergiversatione cunctatur in deductionem divinae voluntatis concedere, eaque de causis tamdiu tamque variè affligitur, dum suam voluntatem omnem subijciat divinae.

§. I.

Adiuvamus quid voluntas divina præceperit Jonæ: *Surge, & vade in Niniven.* Hæc prima pars præcepti. Altera: *Et prædica in ea.* Surrexit quidem Jonas, & loco se movit, sed Niniven non ivit. Surrexit Jonas ut fugeret in Tharsis à facie Domini. Duplex hic inobedientia: in civitate, quā jubebatur, non tantum non concionari, sed nec in eam ingredi. Sed mox adfuit ultor à tergo Deus: & ventis, & mari, & omnibus cæli injuriis pugnavit in obstinatum Jonæ voluntatem. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. Necdum tamen animadvertit fugitivus iste, in se has procellas ruere: & Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi. Nihil pejus, nihil periculiosius malā securitate. Jamque magis ac magis inhorruit iratum mare, & nubes undique adductæ obtruerunt tenebris diem. Discurrebant nautæ ad officia trepidantes, vela tempestati subdebant, & quidquid navigio videbatur onerosum, jactabant in mare. Sed tempestate mandata fatiorem peragente, consilium initum est explorandæ fortis, Et cecidit fors super Jonam. Hic variè interrogatus Jonas, respondit: Hebraeus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo. Itane verò, mi Jona, Deum times? at cur Dei voluntati non pares? Plures ita loquuntur: Deum, ajunt, timeamus, interrim Dei voluntatem negligunt. Hoc, o boni, Deum timere non est, voluntati ejus obstrepere. Nec mare his Jonæ vocibus tranquillari se sinebat, jamque magis exaltans fervebat, & ingentes aquarum montesolvebat. Ita demum è navi Jonas in pelagus excutitur. Prius autem ipsemet culpam fassus: Scio enim ego, inquit, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super nos. Ita te veritas amet, mi Jona, quàm hoc candidè & verè dixisti! Omnem hanc cæli intemperiem, hunc ventorum conflictum, has pelagi furentis insolentias propria voluntas tua concitavit, unica omnium illorum causis: Niniven ire jussus es, non Tharsis. Sed expectat te præceptor marinus, qui doceat idem Velle aut Nolle cum Deo. Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Hæc præmia sunt propriæ voluntatis, sic docendi sumus molle jugum divinae voluntatis accipere. Audi quàm sapere didicerit ictus piscator, & quàm facilem se præbuerit divinis nutibus. Jam vivo ceti carcere conclusus Jonas, jam pæne ad inferos demersus, jam inter mortuos & vivos ambiguus hærens: Cum angustaretur, inquit, in me anima mea, Domini recordatus sum. Tandem, tandem respicimus, & incipimus VELLE, quod diu malè nolimus. Jam ergo, Jona, vis ite Niniven? Volo ire. Ninivitis concionari? concionabor. Num etiam quæ in hoc belluæ cavo vovisti, vis reddere? Reddam. Et dixit Dominus pisci, & eromuit Jonam in aridam. Priora igitur jussu divinae voluntatis redeunt: Surge, & vade in Niniven prædicatam magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, & abiit in Niniven, juxta verbum Domini. Jam Jonas propriam voluntatem excussit, jam idem omnino vult quod Deus; jam manibus pedibusque festinat, quò pridem jussus est proficisci; jam clamat, & hortatur ad pœnitentiam; jam obtemperat, & mor-

tio ad Remigium Antistitem, defertur: ille continuo A equum ascendit, & omni festinatione properat ad incensos tritici manipulos. At ubi advenit, jam flammæ per omne frumentum præcipitant, nullā vi ampliùs sopiendæ. Quid hic faceret afflictissimus Præsul? num se mœrore conficeret, & aut insanè lamentaretur, aut diras omnes deprecaretur in auctores? Hoc fecit: equo descendit, & quia hiems erat, incendium quò proximè lieuit, tanquam se calefacturus accessit, dixitque: Semper bonus est focus, præsertim seni. En integerimi viri animum divina voluntati deditissimum, eaque de causā in omni sorte tranquillissimum: voluisset quidem, quantum in ipso, ortum incendium reprimere, sed quia nec ratio nec modus erat coercendæ jam grassantis flammæ, totum hoc divina voluntati permisit, & illud Jobi serenâ fronte repetit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Job cap. 1.
vers. 21.

Ita porro, ita in aliis omnibus agendum: cum malum imminens quodcumque vel etiam præsens legitimis remediis inhibere non possumus, dicamus toto animo: FIAT VOLUNTAS DEI: sacrificetur Isaac, si non submittatur hircus: immoletur filius, si sic imperet Deus. Pereat domus, pereant bona, omnia pereant, modò fiat voluntas Dei.

§. V.

Citharedus tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides cithara, dum assonebit ita qui totum se dedere cupit in arbitratum Dei, tamdiu necesse est voluntatem suam exerceat, subigat, asringat, dum obsequatur, doceat etiam quàm ipsi expediat ad omnem beatitudinē, si ad divinam voluntatem in omnibus sese conformet, uti beatissimus David: Nōne Deo, inquit, subiecta erit anima mea? & ipso enim salutare meum. Dicti hujus litteratura Hebræa hæc est: Attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea. Aptissimè nostro instituto, hac enim mente fuit rex David: Quidquid mihi demum eveniat, feliciter an secus, divinæ tamen voluntati non contradico; Dei sancita non turbo: & etsi omnia teterimè cadant, ego non obmurmuro; ad omnem Dei permissionem sileo, divinā dispositione semper contentissimus: aspera omnia lenit' possunt placidè ferendo.

Voluntas
tamdiu
exercenda
donec ob-
sequatur.
Ps. 61. v. 2.

David in
omnibus
eventis se
divinae
voluntati
commisit.

Quisquis sapientissimum hunc regem imitatus fuerit (quod cuivis facillimum, modò velit) hic sanè adversa omnia, & quascunque calamitates tranquillo & imperturbato animo sustinet; nunquam ei vel vocula excidet, quæ crebras nimium, aut nimium graves ærumnas queratur: voluntas divina omnium illi ærumnarum allevamentum erit: nec unquam esse poterit tam cooptus miseris, quin cū religiosissimo illo viro exclamet: Pater sancte, tu sic ordinasti, & sic voluisti: & hoc factum est, quod ipse præcepisti. Sine consilio & providentiâ tuâ, & sine causâ nihil fit in terrâ. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virgâ correctionis tuæ me inclino: percutere dorsum meum, & collum meum, ut incurvem AD VOLUNTATEM TVAM tortuositatem meam, ut ambulem ad omnem nutum tuum, atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquiram.

Thomas à
Kempis l. 3.
cap. 50.

Qui hanc institutionem non capiunt, perpetuò erunt 2. Tim. c. 3. miseri, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Qui verò studium omne in Dei voluntate cognoscendâ, & sequendâ posuerint, non patienter tantum, sed hilariter, & cum gratiarum actione adversa omnia tolerabunt. Optimè dixit insignis ille concionator: Omnem diem amissum credite, quo Dei amore propriam non fregistis voluntatem.

Joan. Tauler
us epist. 8.
mih. p. 85.
vixit anno
1350.

De conformatione voluntatis Lib. IV. Cap. IV. 551

& morigeratur divinis iussibus. Utinam constanter id faciat, & ad propriam non recurrat voluntatem.

§. II.

Sed heu mobilitatem & inconstantiam voluntatis humanæ! quæ modò Dei fuit, iterum incipit esse sua. *Et afflicti sunt Iona afflictione magnâ, & iratus est.* Indicia hæc sunt pessima propriæ voluntatis, jam iterum luctantis cum divinâ. Qui suam voluntatem ad divinam accommodat, nunquam tantopere turbatur, nec unquam ærumnis sic deformatur, ut in iram prorumpat, & indignetur Deo. Quid obsecro, mi Jona, quid est quod voluntatem tuam divinæ jam conjunctissimam denuo in hanc discordiam agit? Novi diffidii causam audite:

Nunquid non hoc est, inquit, verbum meum, cum adhuc essem in terrâ meâ? Scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens & multa miserationis, & ignoscens super malitiâ. Hæc illa in Deo & Jonæ voluntatum dissensio est: Voluit Deus parcere Ninivitis, voluisset Jonas puniri Ninivitas, & hoc ait prælagisse sibi suum animum, se frustra minas sparturum, non successura minis supplicia, Deum citò nimis placandum. Nihil ergo amplius videtur futurum, quam Deum rogare: Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors quam vita. Melior tibi est, Jona, sed forsitan Deo non gravior. Id autem propria voluntas non curat, hoc solum attendit quid sibi gratum & volupe sit: Deo id placeat, an non, juxta habet.

Et egressus est Iona de civitate, & sedit contra Orientem civitatis: & fecit sibi inter umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbrâ, ut videret quid accideret civitati. Necdum quiescit propria voluntas, urbem deserit, ut commodius spectet exitum urbis. Cur autem egreditur Jonas, cur civium animos non hortari pergit, ad constantem pœnitentiam? quid opus est ei textili hederâ novum sibi domicilium struere: mille domus urbecæ recepissent non ingratum pœnitentiæ præconem. Sed aliter placuit propriæ voluntati, cui quandoque non tantum amplissimæ urbes, sed terrarum Orbis nimis angustus est. Putavit Jonas ad suum ex urbe egressum mox igneas cælo ruituras pluvias, mox urbem funditus evertendam. Ita enim Deus prophetam jussit minari: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Hanc ob causam in tuto Jonas se collocat, hic confidet ut videat, an Deus nullam suis sit additur vim minis: an omnem injuriam tam facile oblitescaturus, & parvulus sceleratissimæ civitati. Spectaculum è cælo diu expectabat: sed cum cælum omne ferias agere, cum nulli volare ignes, nec ulla erumpere saxa, cum vindicta omnis dormire videretur, cum hederacea etiam voluptas exarescere, cum sol desuper caput ferire, cum æstus ingens graviter vexare inciperet, hic demum Jonas tantam Dei patientiam impatientissimè

ferens, & seridè exandescens, petivit anime suæ ut moreretur, & dixit, Melius est mihi mori quam vivere. Cùmque super hac suâ exandescentiâ interrogaretur, num eam censeret æquam? respondit audacter: Bene irascor ego, usque ad mortem. Videte, obsecro, tam impotentis iræ causam. Ideo Jonas tam multum fellis effudit, ideo pene in languorem incidit præ tristitiâ, *Quia non factum est ei sicut cogitabat.* O Jona, quàm credula est propria voluntas, maxime sibi suisque persuasionibus! Ecur tam indignè fers miserationem & patientiam divinam? an nescis, Dei proprium esse, misereri & parcere? nunquid Deo induere vis impatientiam humanam? ut quamprimum læsus, mox feriat, injuriis affectus mox sua fulmina mittat? Hoc humanam sapit indolem, non divinam: nos tales sumus: vix tacti, pugnis & calcibus tangentem petimus; vix læsi, fervidissimis icibus ferimus, ad rem nullam profectò promptiores quam ad vindictam: hic currimus, hic volamus cum ulciscendum est. Non talis est Deus, Miserator & misericors Dominus:

patiens & multum misericors: Suavis Dominus universis, &

misericors est super omnia opera ejus. Nec vult Deus perire animam, sed retrahat, cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. Quid autem, mi Jona, tantopere luges hederaceum palatium tuum à verme destructum; neque tu vermem rodere, nec hederam crescere docuisti. Hanc tibi Dominus dedit, hanc & abstulit Dominus, cur Domino indignaris? Quòd si tanti doloris causa est, umbraculi hederacei demolitio, & urbis quæ regnum æquet, everfio non sit dolori? Jam ergo, mi optime Jona, voluntatem tuam ad divinam omni ex parte conforma. Hederata perit? velis perisse: Ninive servata est? servatam & tu velis. Nec est quod quidquam ultra doleas, nisi ob propriam voluntatem non protinus divinæ subiectam.

§. III.

Videte, Christiani, quid sit sui iudicii suæque voluntatis esse, & in quantos errores hæc una res sanctissimos etiam viros pertrahat. Nihil agimus, quamdiu voluntatem propriam non penitus expugnamus. Hac stante, & adversante divinæ, nec dona Deo ulla, nec vota, nec preces, nec sacrificia grata sunt. Gratum Deo jejuniū est, grata elemosyna, gratum orandi studium, sed illud solum quod divinæ voluntati accommodatum. Novit quidem & propria voluntas stipem spargere, jejunia instituire, preces inire, sed hæc omnia nimis quàm exola sunt Deo, si divinæ voluntati conformia non sint. Ideo Deus (mirissimum dictū) & jejunia, & sacrificia ceteroqui gratissima prohibens:

Nolite, inquit, jejunare sicut usque ad hanc diem. Quid ergo vitii habuit jejuniū istud Hebrææ plebis? Propriam voluntatem nimium olebat: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra: Jejunium amo, sed propriam voluntatem odi, quæ corrumpit jejuniū. Si quis homini capas averfanti, ferculum cetera pretiosissimum proponat, cepis tamen infectum, nihil inibit gratiæ, nec lassum stomachum pervellet; nauseam movebit, non appetentiam ciborum: ita jejuniū velut generosi saporis edulium est, ab Angelo etiam laudatum: Bona est oratio cum jejuniis; at si huic edulio cape

& allium propriæ voluntatis nuceantur, apage hoc fastidium à cælesti mensâ. Chrysostomus: *Qui peccat & jejunat, inquit, non ad gloriam Dei jejunat, nec se humiliat, sed suæ substantiæ parit.* Omnia fœdat & perdit voluntas propria.

Et hæc illa dejectorum ad inferos extrema miseria est, tantà eos furere contumaciâ voluntatis, ut hæc in omnem æternitatem, divini voluntati nunquam sit consensura: Nunquam volent damnati quod Deus, nec velle poterunt. Clarè Augustinus: *Voluntas enim eorum, inquit, talis erit, ut habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum.* Quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se male voluntatis reliquias habebunt: ita illi qui erunt in supplicio ignis æterni, cum diabolo & angelis ejus deputati, sicut nullam habebunt ulterius requiem, sic & nullatenus bonam poterunt habere voluntatem. Ah, quid uspiam esse potest formidabilius gehennâ, si in illâ vel unicum hoc supplicium sit, à sanctissimâ Dei voluntate in omnem æternitatem esse averfissimum, nec cum eâ unquam conciliari posse? Ergo, mi Deus, ut deseram ego voluntatem meam, doce me facere voluntatem tuam.

CAPUT V.

Quæ voluntatis propriæ contumaciâ maxime confirmet.

Inter gravissima quæ Dominus Hierosolymorum urbi exprobrat, illud est: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos*

suos sub alas, ET NOLVISTI? Propria voluntatis oblatione, scelerum omnium origo. Ego VOLVI, inquit Deus, tu NOLVISTI.

Dorothei, serm. 5. Abbas Pastor dicere solebat: Ferreus murus est propria voluntas, ad Deo nos sejiungens & separans: ET NOLVISTI; *August. 1.8.* hinc illa lacryma. Nec aliter Augustinus: Susspirabam, inquit, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. VELLE meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Voluntatem autem propriam mirè roborant hæc tria.

Tria voluntatem propriam roborantia.

§. I.

1. Consuetudo prava. *Aug. lib. eod. cap. 5. & 11.* Primum, Consuetudo prava. Augustinus hoc explicans: Quippe, ait, ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulus quibusdam sibi innoxius (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova quæ mihi esse ceperat, ut te gratis colerem, frui, te vellem, Deus, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, ista spiritalis, consuegebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam; plussive in me valebat deterius inolitum, quam melius insolitum.

Difficulus vicia ejiciuntur cum inoleverint. *Greg. lib. 4. mor. c. 25. post med.* Ita cum vicia abeunt in mores, non relinquunt amplius remediis locus. Nam hic omnium vitiolorum genus est, ut nisi quantocumque domo ejiciantur, difficulter & raro, cum introborantur, expelli possint. Verè Gregorius: Cum culpa, inquit, in usum venerit, ei jam animus, etiam si cupiat, debilius resistit: quia quot vicibus prava frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Facile est teneros adhuc annos componere; inveteratos difficile. Vae illi cuius rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit ab ea. Nimirum asperam & insuavem virtutum viam facit vitiolorum consuetudo. Verissimè Chrysostomus: Nihil, inquit, tam firmum est in rebus humanis quam veteris consuetudinis tyrannis. Ideo Augustinus admonens: Peccator, inquit, de proximo reviviscat, non eat in profundum sepulchri. Vae illi cuius rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit ab ea. Nimirum asperam & insuavem virtutum viam facit vitiolorum consuetudo. Verissimè Chrysostomus: Nihil, inquit, tam firmum est in rebus humanis quam veteris consuetudinis tyrannis. Ideo Augustinus admonens: Peccator, inquit, de proximo reviviscat, non eat in profundum sepulchri.

Plato juvenem alacrum ad ludendum acerbius reprehendit. *Juvenis huic monitori asper: Quam parva, inquit, redarguis? Mox Plato: At non est parvum quid, ait, consuetudo. Certe Cretenses cum acerbißima execratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, ut mala consuetudine delectentur, oprant, modestoque voti genere, efficacissimum ultionis eventum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perleveranter morari, exitio ea dulcedo vicina est.*

§. II.

1. Longanimitatis defectus. Alterum, quod propriam voluntatem adeo corroboret, est, Longanimitatis defectus. Hæc nostra est in rebus plurimis præcipitancia, cum id quod valde volumus, ad destinatum tempus non impetramus, mox in impatientiam agimur, & quandoque in rabiem. Tales sumus, moræ impatientissimi. Quoties audias hominem longanimitatis expertem dicere: Jam volo, statim volo, non expecto, nolo differri, ni brevi hoc fiat, despondi animum. Ita rex Hebræus Saul non potuit unam quæ restabat alteramve horulam expectare Samuelem: ideo illi in os aperte objectum, quod stultè egisset. Ita plerumque & nos cum Deo agimus, si non mox obtineamus quod impetratum volumus, cadimus animo, & in tristitiam ac querelas solvimur. Nostræ preces plerumque sunt quales erant saltatrici puellæ: Volo ut protinus des mihi. Ita sæpe spem omnem & patientiam consumimus, ut in impatientiam & desperationem prorupimus. *Anima quiores estote filii, & proclamare ad Dominum.* Rex Joachim triginta septem annis attinebatur carcere; post tantam temporis interapedinem, sibi & regno restitutus, docuit quam longanimitatis patientiæ divinum auxilium

A sit expectandum. Magnæ virtutis est, id quod velis, non velle statim fieri: Maxima virum est longanimitas: patientia, quæ aridissimum etiam baculum triennio rigatum, in frondes & flores potest educere. Hinc illa Seracidis monita: Sustine sustentationes Dei; conjungere Deum, & sustine. Omne quod tibi applicatum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tuâ patientiam habere. Respice filii, nationes hominum, & scivote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Vae his qui perdidit sustententiam. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. At propria voluntas in contrarium semper nititur, & quod appetit, imperiosissimè sic exigit: Protinus da, continuo fiat, mox annue, confestim exhibe, ne mora sit, cunctatione omni abjecta. Ideo monendi sumus assidue: Expecta fili, domine, deamus, quem res exitum habeat. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Christum in cruce variè urgebant hostes, ne vellent videre finem suorum cruciatuum. Si filius Dei es, ajunt, Matthei, descende de cruce. Pulchrè his respondet Chrysostomus: Ideo de cruce non descenderat, quia filius Dei erat. Expectabat Christi longanimitas, dum dicere liceret, consuevit MATVM EST. Quod autem in capite cerminis factum, hoc & membris imitandum: Voluntas patris ad supremum usque halitum exsequenda. Quæ de re præclarissimè Ludovicus Blosius, quem sic placet recitare, ut verbum è verbo exprimamus: Felix igitur ille est, inquit, qui angustius & penitus afflictus non aliquid inquit quod illas eradat, sed ad finem & ultimum usque punctum eas sustinet: nolens de cruce descendere, nisi Deus illum solvat ac deponat. Felix plane qui se in abyssum divini beneplaciti ita demergit, & quæ terribilibus occultisq; Dei judicis ita se resignat, ut in hujusmodi doloribus ac pressuris, non tantum unâ hebdomadâ, aut uno mense, sed usque ad extremi judicii diem, velietiam perenniter consistere paratus sit, non recedens ipsius quoque inferni tormenta (si Deus ita velle) subire. Quæ quidem resignatio omnem altam resignationem longè vincit. Vel mille mundos relinquere, in hujus resignationis comparatione nihil est.

Quam verò hîc propria voluntas oblectetur, sic explicat: Irresignatus quisque, dum in hunc modum duris supplicia à Domino atteritur, omnia se perdidisse arbitrat: unde & gravem tristitiam, horribilemque desperationem prolapsum dicit: Iam de me actum est, periit. Ceterum qui solidâ tranquillitate intra se sui cupit, ad hoc enim debet, ut resignato libereque animo, & Deo, & seipso, & creaturis omnibus carere possit, nam pacem intus interim retinens. Unde cum accidit pressura, de manu Domini suscipienda sunt, cuius permissa evadunt. Ergo, ut propriam domes voluntatem, esto longanimitas, & expecta Dominum, etiam moram facit, quia veniens veniet & non tardabit.

§. III.

1. Longanimitatis defectus. Tertium denique quo propria voluntas supra modum invalescit, est, Mutabilitas perpetua. Parum est cum Lunâ circumagi, & aliam atque aliam formam induere: in dies, in horas mutamur; manè aliud, & aliud placet vespere; hodie volumus, cras nolumus: nunquam iidem, nec similes quidem nobis, adeo in diversum aberramus; quotidie consilium permuatamur & votum: ut nubes à quovis vento huc illuc impellimur. Et hoc voluntati propriæ solennissimum est, ut cum firmissimè illi columnæ voluntati divinæ nolite alligari, seipsam rebus caducis ac vanis indulgear, quibuscumque non possit non creberrimè mutari. Hæc tantâ propriæ voluntatis instabilitate, cupimus quidem quotidianis tædis occurrere, verum hac ipsâ ratione sæpe nobis tædium è tædio creamus, dum illud tam sollicitè studemus vitare. Ita Sisyphe saxum volvimus, & dolium Danaïdum implemus, dum idem & volumus & nolumus, eadem sæpe horâ. Voluntas nostra, & quod inde pendet, omnis sententia nostra, non est turris inexpugnabilis in monte Sion, pugo, etc.

jugo, aut edita rupe collocata, sed domus lutea, quæ ad omnem incursum cedit & collabitur. Probus es; sit ita hoc illudve præclare incipis, hic aut illic rem optimè agis; neque hoc negem, sed hoc quamdiu & quam constanter? Ali, quam facile ad omnem auræ sibilum mutatur, & sæpe turpiter dejicimur! ut folium arboris, à vento non magno rapimur, & ventulam nos in omnem ventum, & imus in omnem viam. Multiformes planè sumus, & nobis ipsi dispares, nec unum agimus hominem, sed plures. Quod in Sacris de Jobo scribitur, *Fuit vir unus*: id ita Hieronymus interpretatur: Non per diversâ mobilis, & instabilis ferebatur, sed finis atque inconcussus persistens, erat vir unus. Nos plerumque non unum virum agimus, & sæpe nec quidem viri sumus, tam debiles in virtutis actibus, quam inconstantes. Hæc propriæ voluntatis illustria sunt facinora. Sed de hoc humane voluntatis Euripo explicatiùs alibi.

Itaque libera voluntas nos facit nostros, mala diaboli, bona Dei. *Qui enim*, inquit Bernardus, *voluerunt esse sui, utique sicut Dei scientes bonum & malum, facti sunt non tantum jam sui, sed & diaboli. Sanè diabolo nos nostra mancipat voluntas, non ipsius potestas. Nostra autem voluntas perfecta non erit, quousque suo creatori perfectè subiecta sit. Perfectò expedit nobis magis omnino non esse, inquit, quam nostros permanere.* Augustinus de aquilis: Dicuntur pulli aquilarum, inquit, sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radiis solis opponi: qui firmè solem contemplatus fuerit, filius agnoscitur, si acie palpitaverit, ab ungue dimittitur. Nos viles homunculi magis sub arbitrio Dei sumus, quam unguis patris ungue aquilæ pullus; à Deo magis pendemus quam radius à sole, calor ab igne; plus Deo in nos potestatis est, quam in lutum figulo, & tamen hunc solem nostrum, divinam voluntatem liberrimè averfamur. Jubemur inimico ignoscere? Nolumus. Efrenem libidinem coercere? æquè nolumus. Impotentem iram domare? Nec hoc volumus. Illo aut isto familiari vitio abstinere? pigerimè volumus, hoc est, modeste nolumus. O pullos non aquilarum, sed noctuarum, qui non solem divinæ voluntatis, sed tenebras propriæ sectantur. Hinc autem omne malum, & omnis pena. Narrante Ludovico Bloisio, Christus sanctæ civitatis virginis familiarem se præbens: Volo te nosse, inquit, quod omnes penas, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt: quia si voluntas esset ordinata, & concertis cum voluntate meâ, careret quodammodo pena. Quamvis enim is qui hac sancta ordinataque voluntate præditus est, sentiat laborem ac dolorem, quidquid tamen amore mei sponte paritur, quasi sine pena portat. Libentissimè enim illud sustinet, considerans & sciens meam esse voluntatem, atque per missionem, ut patitur. Mens ejus in quovis dolore corporali libera est, cum voluntas ipsius in omnibus sit conformis, & unita voluntati meæ. Igitur ablata voluntate propriâ spiritus hominis tranquilluss est, & pace gaudet.

CAPVT VI.

Nihil voluntatis propriæ retinendum esse, tam in omnibus rebus arduis ac difficilibus, quam in ipsâ morte.

Hic Rhodus, hic saltus. In rebus subinde minutulis non ita difficulter voluntatem nostram divinæ attemperamus, at in iis quæ momenti sunt gravioris, in jacturâ opum, honoris, vitæ, hic tergiversationes, & excitationes, hic moræ & tritæ, hic multa refractariæ voluntatis contumacia, hic nostrum nobis & VELLE & NOLLE stat contra Dei & VELLE & NOLLE. Sed quid miseri luctamur frustra? stat voluntas divina, statique

Tom. I.

A æternum velut immobiles rupes; non illam ad nos trahemus, sed ad se nos illa. Rideamus, si is qui cimbam ad rupem alligavit, funem identidem trahat, & rupem ad se accedere censeat, cum ipse ad illam propius ac propius accedat: Et non major nostra stulticia est, qui ad rupem illam divinæ voluntatis nexi, trahendo & relucendo volumus eam nobis obsequi, non nos ipsi?

§. I.

Sunt qui & se & alios divinam legem doceant, & hi quidem intelligentiam suam Deo consecrant; at ubi est voluntas rerum omnium pretiosissima? Hanc sibi servant, partitione factâ cum Deo haud æquâ. Optimè olim alteri alteris sic precabantur: *Beneficiat vobis Deus, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti.* Hi corde prorsus exiguo, & animo minimè volente Deum colunt, qui in re quapiam facili voluntati sue cedunt, at ubi vel bonorum alea jacitur, vel honoris punctum, aut vitæ cardo vertitur, hic jus propriæ voluntatis tenacissimè retinent, hic sui sunt. O non Volones, quales olim sponte suâ militiæ nomen dederunt, pro dominis pugnaturos se polliciti: Eâ de causâ in civitatem recepti, & liberi esse jussi sunt. Quod si contumaces illi & divinæ voluntati tam refractarii ultro se dederent, suamque voluntatem sponte submitterent supremæ illi, certè jus cæli obtinerent, futuri liberi in omnem æternitatem. Inter Volones istos præsignis planè, Hebræus rex David: *In me, inquit, sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.* Sub cælo nihil tam liberum atque hominis voluntas: omnia alia admirabili subjectione conditori obtemperant. In solò homine ea est libertas, quâ vult quodecunque lubet, etiam si hoc cælo, inferis, Deo repugnet. Nihil tam in nostra est potestate quam voluntas. Integrum est homini, quociescunque libuerit, dicere non, & abnuere, vel ipso etiam Deo annuente. Et hæc scelus omnium Lerna est, Deo dicente: Volo hoc fieri, hominem tamen obloqui audere: Nolo hoc facere; aut dicente Deo: Hoc fieri nolo; hominem tamen dicere: Hoc volo facere. Et quoties Deus, Hæc est, inquit, mea voluntas; nihilominus homo: At hæc, inquit, mea non est. Ob hoc Deus gravissimè questus: *A sæculo, inquit, confregisti jugum meum; rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam.* Hæc ipsissima est radix omnium delictorum: non sit hoc impium volo, non erit utique delictum. Enimvero medicina ea optima est, quæ sic morbum curat, ut & morbi radicem evellat. Proprium peccati pharmacum, Penitentia, quæ tunc demum vera est, si rebellionem hanc comprimat, & humanam voluntatem divinæ penitus subiciat. Primus autem voluntatis actus est AMARE, uti est aurium audire, cernere oculorum: qui verò quippiam amat serid, ei cor suum voluntatēque cum voluptate impendit; non eum labor, non dolor, non terrifici quidquam inde avocet. Ita voluntas quæ se Deo verè transcribit, omnia præ Deo nihil facit, tam aspera quam jucunda, & suavia promptè amplectitur, prout scierit supremæ id voluntati probari. Hujus sibi mentis conscius rex David: *In me, inquit, sunt Deus vota tua.* Non reperio quas tibi gratias agam, mi Domine, quod hanc in me felicitatem ac promptitudinem, erga tuam voluntatem experiar; promissiones tibi à me factæ, in intimis apud me præcordiis asservantur, ne excidant. Tale sit voluntas Christiani hominis promptuarium, unde facillè depromi possit, quidquid est ad domini gustum. Penarium verè opulentum, omni genere quæculentorum, quæ poculentorum instruitur: Si dominus velit oleum, aut mel, aut aromata, vel vinum sive Chium, seu Thasium, sive Creticum; adferuntur & oleum, & mel, & aromata, & vinum non cibarium & ignobile, sed quale jussit adferri: si dominus cupiat perdicem, aut alilem gallinam, illico perdis

A a a

Act. cap. 13.
v. 22.

§. II.

De quo Ba-
ron. tom. 7.
Anno 523.
num. 15.
Martyrol.
Baronii die
26. Octobr.

Senec. epist.
80. *init.*

Idem epist.
96.

Omnia
quæ nobis
eveniunt
vitæ sunt
tributa.

Magnus
animus
qui se Deo
tradit, pu-
sillus qui
oblucta-
tur.

Optimum
in morte
exercitium
Resignatio
fui.

§. IV.

Sed istud QUANDO plerisque omnes homines agere habet. Moriendum sibi sciunt, & mori volunt, sed nondum: cupiunt naturæ solvere quod debent, sed nondum:

dum: desiderant celo recipi, sed nondum. Adeo miselli infaninus, ut cupiamus desinere esse miseri, sed nondum; ut felices & beati esse velimus, sed nondum. Quid, homuncule, tam altum tibi patibulum ædificas, ut multos gradus habeas, per quos ad mortem te ire diutius scias? quid vitæ tuæ tot optas annos, quibus finis tuum prospicias, cogitationum lento tormento? Eundem est, seu hodiernâ, seu crastinâ. At scio, quid multos decipiat: cum Mors pulsat, ante tempus adesse putant importunum exactorem. Stulti: tunc tempus est, QUANDO Domino Mortis visum est. Quid tergiversaris, quid immaturam ætatem objicis, quid moram poses? ad mortem maturus pridem fuisti. Sed nec concessâ mora paratorem refaciat, aut promptiorem. Nam & post hanc morari voles, minus forsitan paratus, quo plus moratus. Inducit non paucos deteriores fecerunt. Mala ad mortem preparatio est, mori nolle. Facti dimidium habet, qui tunc vult, quando vult ille, qui nihil mali potest velle. Ergo tergiversationem tolle, & dic animo: QUANDO, B

& QUOMODO Domino visum, sic fiat. Ad hoc ipsum luculentissimam faciem præluet Romanus Sapiens, & c. Sive alios, inquit, observare volueris, sive te ipsum, sanare sponso; & senties hoc, & confiteberis, nil ex his operabilibus & charis utile esse, nisi te contra levitatem casus, re- rimque casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querelâ, inter singula damna dixeris: Deo aliter visum est. Itedices: Antehac quidem diutius me victurum arbitrabar, at, Deo aliter visum est, & bene sic visum est. Ita propriâ voluntate in divinam transmutatâ, omnia tibi reddentur facilia. Nam uti malus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optimi veniunt: ita rectus atque integer corrigit prava vitæ; & dura atque aspera, ferendi scientiâ mollior: idemque & secunda gratæ excipit modestèque, adversa constanter atque fortiter. Hic idem voluntati divinæ tam additus, nunquam malis eventibus maledicit, nunquam accidentia tristis excipit; civem esse se universi & militem credens, labores velut imperatos subit. Quidquid incidit, non tanquam malum aspernatur, & in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc quaecunque est, inquit, meum est. Asperum est, durum est: in ipso navemus operam, nec de Dei providentiâ queramur. Si Diis, inquit Epictetus, ita visum fuerit, ita fiat.

§. V.

ET hæc sciverint idololatræ, Christiani aut nesciant, aut quæ sciunt non faciant; videant meliora probentque, sequantur deteriora? Nihil tam acerbi est, in quo æquus animus solatium non inveniat. At verò solatium nec uberius nec certius erit quam Dei voluntas; ad hanc in omnibus adversis assidue suspiciendum.

Jobus in perferendis ærumnis dexterrimus, plus Deo placuit, Chrysostomo teste, plûsque sibi promeruit pauculis solùm verbis, quam omnibus suis etiam largissimis elemosynis. Cum enim Jobus undique afflictus dice- ret: Sicut Domino placuit, ita factum est; Sit nomen Domini benedictum: divinæ voluntati magis se probavit, quam cum stipem liberalissimam erogavit. Nam, quod à sancto Bonaventurâ discimus: Perfectus est adversa tolerare patienter quam bonis operibus insidare. Quoniam Deus bonorum nostrorum non eget.

Quisquis igitur divinam voluntatem sincerè querit, sanissime sit an ger, perinde habet, quandoquidem Dei voluntas, omne nostrum bonum est. In morbo autem sic Medico & medicinis fidendum, ut interim fiducia omnis in Dei providentiâ & voluntate colloccetur. Quod cum rex Asa non fecerit, merito reprehensus est: Nec enim in infirmitate suâ quaesivit Dominum, sed magis medicorum arte confusus est. Melius Ezechias, qui morbi sui curationem nõ flebus, nec eas imponenti, sed Deo adscripsit. Quod si pharmaca nil proficiant,

Tom. I.

aut Medicus vim morbi non perspiciat, aut aliunde committatur error, nec emendetur valetudo, non continuo huic illive culpa impingenda, sed omnia divinæ providentiæ ac voluntati attribuenda; nec aliud cogitandum, quam Deus non vult ut saner, aut vult ut saner tardius.

Lydæwina, Virgo sanctissima, omnigenis doloribus *Sur. tom. 7.* exercitata, miserabile spectaculum, & velut conductâ *part. alt.* domus omnium ferè morborum, adeo tamen defixit in *vit. c. x. mibi* Domino voluntatem suam, ut nihil neque cogitare, ne- *pag. 288.* que dicere, neque facere præmeditatè liberet, quod putaret displicere Deo. Fertur cum patientissimo Jobo *sæ. Tob. cap. 6.* plus dixisse: Hoc mihi Domine acceptissimum erit, ut *v. 10.* affligens me dolore non parcas; cum tuæ voluntatis execu- tio, sit mihi summa consolatio. Difficultatibus & calamitatibus omnibus efficacissimum remedium fecit, qui semper divinæ se voluntati submisit.

LIBER QUINTVS DE HUMANÆ VOLUNTATIS AD DIVINAM CONFORMANDÆ ADIVMENTIS.

CAPVT PRIMVM

Conformationem humanæ voluntatis ad divi-
nam consistere non posse sine magnâ in
Deum Fiduciâ



Quomodo sui in divinum arbitrium nunquam erit integra, nisi Deo in omnibus plurimum fidamus: Quomodo enim alteri de rebus omnibus assentiar, cui non fido? & quomodo fidam illi, quem non credo res meas fideliter, aut sollicitè curaturum? Ideo de fiduciâ in Deo collocandâ nunc agendum.

§. I.

PORRO cupienti scire quid divinæ paginæ de hac vir-
tute sentiant, nostri avi scriptor respondet: In scriptu-
ris sanctis vix ullum invenitur caput, in quo Deus opem, *Ludov. Gra- nat. lib. 7. Moral. cap. 9.* gratiam & providentiam omnibus illis non promittat, qui in illo confidunt. Beatissimus rex David, hujus Fiduciæ magister excellentissimus, hanc unam pleno ore ingerit, in psalmis pæne omnibus. Et quàm illa confiden-
tis animi sunt? Quoniam tu Domine singulariter in spe con- *psal. 4. v. 10.* stitisti me. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, *psal. 17. v. 3.* & liberator meus: Deus meus, adjutor meus; & sperabo in eum: *psal. 26.* Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus: Do-
minus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus *vers. 1. 2. 3.* protector vite meæ, à quo trepidabo? Si constiterint adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me præ-
lium, in hoc ego sperabo. Qui habitat in adiutorio Dei altissimi, *psal. 90.* in protectione Dei cali commorabitur. Qui confidunt in Domi-
no & c. non commovebitur in æternum. In te, Domine, spera- *psal. 124.* vi, non confundar in æternum. Erat huic regi cor amplissi-
mum, & plenissimum ingenti Dei Fiduciâ. Nimirum *psal. 30. v. 2.* hos ructabat, quos biberat divinos fontes.

Eandem in Deum Fiduciam sapientissimi ac sanctis-
simi viri plurimum semper commendaverunt. Illud fa-
pientiæ miraculum Salomon: Habe, inquit, fiduciam in Prov. c. 3.
Domino ex toto corde tuo. Non qualemque fiduciam v. 5.
A a a 2

exigit,